



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 28. Neapolis ab Alphonso occupata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

rendas. IV. Denique, Eugenium captivum a Sfortia Felicis manibus tradendum. Pro se vero vicissim a Basileensibus postulavit, ut tredecim aureorum millia singulis mensibus sibi numerarent ad alendos mille pedites, & quatuor equitum millia, præterea ut in pacifica possessione Tuderti, Assissii, & Tuscanellæ cum tribus aliis civitatibus relinqueretur. Horum quoque promissorum Genuenses Mercatores idoneos fore sponsores jactitabat. Felix æque, ac Basileenses speciosis promissis excæcati, tanta fiducia triumphabant, ut proxime imminentis Norimbergensis Conventus exitum, quiscunque demum esset, parum curare viderentur: verum optimas hæc spes sinister eventus fefellit.

Sæcul. XV.
A. C. 1442.

§. XXVIII.

Neapolis ab Alphonso occupata.

Tandem Alphonfus Regni Neapolitani possessionem adeptus est, Romanis Pontificibus, qui sese supremos hujus Regni Dominos dicebant, nequicquam renitentibus. Frustra itidem reclamabant Andegaviæ Duces, qui tamen licet legitimi essent hæredes, tum præ virium defectu, tum ob Procerum perfidiam ac denique propter innatam mobilis, ac inconstantissimi populi levitatem a cæptis desiste-

Æneas Sylv.
cap. 65.
Mariana
lib. 22. c. 17.

Sæcul. XV.
A. C. 1442.

desistere cogebantur. Enimvero oppido mirum est, quod Ducalis hujus Domus Principes, quamvis eos tot luctuosa Prædecessorum suorum exempla, tantaque parta tuendi discrimina ab hac expeditione deterrere debuissent, nihilominus hoc regnum sibi subjicere toties aggressi sint, seque tam gravibus periculis committere sustinuerint. Ingressus est igitur Alphonsus Neapolim die secunda Junii hujus anni, postquam ejus milites a fabro cœmentario, quem fames Neapoli exire compulerat, per subterraneum aquæductum intromissi fuerant. Hujus perfidia Alphonsus Neapoli potitus, non modo incolarum vitam, sed & urbis bona a victoris militis rabie, atque direptionibus illæsa servavit, cives quoque insolita prorsus benignitate, ac humanitate profecutus est.

§. XXIX.

Renatus Andegavensis relicta Neapoli in Franciam reversus.

Renatus Andegavensis, postquam omnes prudentis Ducis, ac strenui militis partes expleverat, in arcem sese recepit: Ast cum & hujus tuendæ, urbisque recuperandæ spes omnis deesset, eo quod victrices hostium copiæ undique instarent, fuga sibi consulere constituit. Opportu-